


Dissertatione Theologica Ministeriali, Qvæ Contra Dei Ministrum Impium, Ejusqve Ministerium Extra Scripturarum Veritatem Proferuntur

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], 1705

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003440428>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 11.Nov.1705
Grünenberg, Joh. Petr.

lc

DISSERTATIONE THEOLOGICA MINISTERIALI,
QVÆ CONTRA

26.
351
25

Fest II

DEI



MINISTRUM
IMPIUM.

Thema

ET USQVE MINISTERIUM
EXTRASCRIPTURARUM VERITATEM PROFERUNTUR,
CLEMENTER ANNUENTE DIVINO NUMINE,
ET CONSENTIENTE SUMME REVERENDO
ORDINE THEOLOGICO,
IN ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS INCLYTÆ
AUDITORIO MAJORE
PRÆSIDÈ

JOHANNES PETRO
GRUENENBERGIO,

S.T.H.D.&P. P. O. CONSISTORII DUCAL. CONSIL.
ET DISTRICTUS MECLENB. SUPERINTENDENTE,
AC
RESPONDENTE

HELMUHT CHRIST, *Schützen/*

PALÆO - GARZENSIS MECLENB.
ACADEMICIS OBSERVATIONIBUS MODESTE SISTETUR
DIE XI, NOVEMBR. 5 HORIS CONSVETIS.



RostochI, Typis Joh. WepplingI, SER. PRINC. & Ac, Typ. A, 1705.

1705

DISSERTATIONE THEOLOGICA MINISTRIALI
CONTRA

DEI

MINISTERIUM
IMPIUM

AVTHORE
P. LUDWIG WILHELM
EXTRASCRIBITURUM VERITATEM PROFERENTUR
CLERICALI ANNUENTE DIVINO MINISTRIUM
ET CO-ASSISTENTE SUMMO REVERENDO
ORDINE THEOLOGICO
IN ACADEMIA THEOLOGICA INGLEVA
SALISBURGENSI

JOHANNES PETRUS

GRUBNER BERGHO

SENIORIS ET CONSISTORII SACRI
ET DISTRICTUS SACRIS SACRIS

THEOLOGICIS

ACADEMIAE THEOLOGICAE
SALISBURGENSIS

IN ACADEMIA THEOLOGICA
SALISBURGENSI

DISSERTATIO RESOLUTIONEM VARIARUM OBJECTIO- NUM CONTRA MINISTRUM DEI IMPIUM, EJUSQUE MINISTERIUM, PROPONENS.

§ I.



Ta lubens sentio, nihil ad regimen
Christianæ Ecclesiæ fructuosius, ni-
hil in eodem illustrius, nihil sanctius
dici aut produci posse, quàm Mi-
nistrorum DEI vitam ad Veræ Fidei
Regulas curatissimè instructam;
quæ quò erit frequentior, eò magis
floriturum videtur Regnum DEI.
Sicut enim ad profanandum DEI
nomen permultum facit eorum,
qui DEO proximiores esse debe-

bant, mala vita, Rom 2, 17--24. ita ad glorificandum DEI
nomen permultum facit Lux fidei in Pulchris Ministrorum
Operibus profulgens Matth. 5, 16. quod tantò minus est mirum,
quanto clarius ad ornandam Christi doctrinam viliissimorum
quoque mancipiorum probitas non parum afferre facereque
dicitur Tit. 2, 10. Neque tamen inde legitimè id sequitur,
Ecclesiasten Impium non posse dici, atque esse Ministrum DEI: vel:
Das ein Gottloser Prediger kein Diener Gottes und Christi sey. Ver-
rù quidè illud est, ministerio DEI indignū esse Ministrum DEI
Impium; illud autem verum esse, non possumus concedere,
Ministram plane non esse. Habere tamen, quod opponere
speciosè possint, & sollicitè velint, aliter sentientes, non nego;
quod autem pondus opponendis insit, id sicut nego, ita pau-
cis commonstrare annitar.

§. 2. Sunt equidem permulta, quæ induci solent ad
destruendam nostram thesin, talia tamen, quæ creberrimè ab
aliis sunt discussa, unde argumentis cujuscumque generis non
immorabor. Unicus hodie noster erit labor, ut perlustrantur,
quo:

A

quoniam ponderosiores contra nos esse videntur, *Observationes Theologicae de Notis Candidatorum Ministerii Ecclesiastici Praeside Dn. D. J. J. Breitbaup, & Respondente H. Brüknera anno 1697. ad disputandum p.p.* Quod solius Veritatis causa fieri, tanto lubentius crederetur à genuinis rerum aestimatoribus, quò propiore affinitate Vir Ille Celebratissimus, atq; omni honoris genere lux dignitatis & eruditionis causa colendus, Dn. Praesidem Disputationis hujus attingit. Sed transeo ad ipsas Ejus Observationes, quousq; huc spectant.

S. 3. Harum ergo Primam etiam si transmisero intactam, in qua Dona, Vita, & Doctrina, velut Tres Candidatorum notæ, requiruntur, certe in *Secundâ*, quæ de Donis agit, tanto plura sunt, quæ per necessitatem consequentiæ aliud flagitant ab eo, quod hucusq; defendi. Scilicet S. 2. acerbum id est, quod ibi dicitur: (quæ enim explicari commodius possunt, haud attingam.) *Ab Administrantibus (Donis) ordinariè divelli nequeunt sanctificantia, sed -- illa absque his resident apud neminem verè talia.* Hæc thesis talis est ac tanta, ut continuo inde sequatur alveo: Qui igitur Sanctificantia dona non habet, ille caret etiam Administrantibus, itaque nec Minister DEI esse potest: Ministrum enim esse debere, & omnibus donis administrantibus carere, per naturam rei consistere haud potest. Non possum ergò, quin thesin illam protenus negem, & hanc opponam: *Ab Administrantibus quidem ordinatè divelli non debent sanctificantia, divelli tamen possunt, & Administrantia absque Sanctificantibus resident apud hos atque illos verè talia.* Probavi hanc thesin fermè totâ præcedente Dissertatione, ut opus probatu non sit amplius. Tantum ad Argumenta Dn. Autoris prospicio: omitto autem proxima, quæ vippe quæ nihil probant, sed sanius intellecta concedi interminis queunt. Id censerè opus est, quando is, docturus, quomodo Paulus aperitissimè contradicat 1 Cor. II, 12-16, ita infit: *Quod v. 12. in medio contextu opponitur, non aliter intelligi potest, quàm quod etiam Minister, si sit ἀρχὴν ἁγίου πνεύματος (mentem Christi v. 16. seu Spiritum Sanctificantem non habens Jud. v. 19. 20.) quæ Spiritus DEI, non possit cogno-*

cognoscere, nec spiritualiter dijudicare, hoc verò non sanctifican-
 tis modò, sed & certâ ratione administrantis doni esse, monet an-
 tecedens v. 13. In quibus sicut (1) ultima verba concedimus, ita
 (2) negare debemus, Paulum per vocem, ἀνθρώπων & ψυχῶ-
 νος, denotare etiam Ministrum Ecclesiæ Christi, & de eò præ-
 dicare, quod nec is, quæ Spiritus DEI, possit cognoscere, nec
 spiritualiter dijudicare: nec prodest hic quidquam (3) colla-
 tio Epistolæ Judæ, quia ex unâ solâ voculâ aliunde excerptâ, ad
 Senlûm planè alius loci, alius scripti, alius Autoris determi-
 nandum, N. V. C. sicut nec (4) è v. 16. mens Christi accuratè
 exponitur per Spiritum Sanctificantem, cum Mens Christi
 propriè loquendo sit Veritas Christi ad nostram informatio-
 nem per Sp. S. in Verbo Veritatis cum hominibus partim
 immediatè, partim mediatè communicata. Id (5) dabimus,
 phrasin illam Paulinam v. 14. non rarò in sensu accommodato
 ad Ministros Ecclesiæ applicatam à quibusdam esse, & appli-
 cari per quamdam accommodationem posse: quo facto tamen
 (6) per similem accommodationem phrasis: *non potest cogno-
 scere, nec spiritualiter dijudicare*, intelligenda quoque est cum
 subintellectâ voce *fiducialiter, sibi que salutariter*. Extra hunc
 autem sensum (7) locus propriè & literaliter agit de ho-
 mine meris animæ viribus, & accrementis naturalibus in-
 structo absque informatione è Verbo DEI de verâ Christi
 doctrinâ: qualis homo, sive honestè sive impiè vivat, Mini-
 ster esse DEI in Ecclesiâ haud potest.

§. 4. Sic & hæc verba vereri non possumus, quæ
 sequuntur: *Similiter hanc ipsam perversam thesin, quod dona
 Administrantia absq; Sanctificantibus dentur, ingenti zelo impu-
 gnat (Paulus) 2. Cor. III. IV. V. VI. pernegans in Ministris, quod idonei
 sint, --- sine sanctificatione cordium esse posse c. IV, 6. Et. imò
 pernegans, Ministros pravos instructos Donis administrantibus,
 quibus idonei haberentur c. II, 16. 17.* Mihi enim per omnia è
 Verbo DEI patescit contrarium. Hinc (1) quod perversa
 thesis sit, Dona administrantia absque Sanctificantibus dari,
 id ipsum perversum esse, & à Verbo Divinò remotum asserere

debeo: (2.) in 2. Cor. 3-6. nihil invenio, quod Dno Autori faveat, aut ubi S. Paulus ingenti Zelo id impugnet, quod ille perversam scripsit esse thesin: & (3) non video c. IV, 6. &c. quomodo Apostolus ibi *perneget, in Ministris sine sanctificatione cordium esse posse, quod idonei sint, ad Ecclesie scilicet ob-eundum munus*: neque enim inde à v. 6. usque ad 13. vel litera de eò legitur: aliquid potius ex opposito dici poterat juxta v. 7. Si vero rectè is locus perlegitur, clarissimè comparet, loqui Paulum non de omnibus in genere Ministris Ecclesie, sed specialissimè de se Paulo ac Timotheo, qui hanc Epistolam scribebant c. 1, 1. unde &, quoties de se scribit solo, singularem numerum adhibet: nec dicit, quales esse omnes Christi Ministros oporteat, sed quales ipsi Paulus ac Timotheus sint: tantum abest, ut dicat, in Ministris sine sanctificatione cordium esse posse, quod idonei sint. Legantur modò omnia Verba, & patebit Veritas. Neque etiam (4.) video, quomodo c. II, 16. 17. Paulus *perneget, Ministros prae-vos instructos esse donis administrantibus, quibus idonei habe-rentur*: Quin potius, postquam dixerat, *aliis se esse odorem mortis ad mortem, aliis verò odorem vitae ad vitam*, ipse addit: *Et ad hæc quis idoneus?* quasi dicat, neminem hominum ad hoc efficiendum, vel immutandum, vel judicandum esse idoneum, sed DEO id omne esse relinquendum, qui, quid in suis Ministris hic & nunc operetur, & exsequatur, optimè solus nôrit: unde nec sibi Paulo & Timotheo tales effectus principaliter sint adscribendi: esse enim se, non ut multos, Verbum DEI cauponantes (*verfeilschen*) potius, quam *verfalschen*) &, quasi suum sit, de quò lucri sui causâ omnia possint disponere, dicere, agere, sibi que attribuere, illud quasi venum dantes, sed velut ex sinceritate & ex ipsò DEO, coram Deo in Christo se loqui. Id negat Paulus, omnes loqui velut ex sinceritate, cum pro sinceritate multi sectentur avaritiam; itemque velut ex Deo, cum loqui ament, velut ex se ipsis; id ait quoque, multos esse, qui Verbum Dei venundant, velut caupo vinum, & fructum ex prædicatione Verbi pecuniari-

✿ (5) ✿

974

um proprie anquirant; id verò, quod Observator habet, Ministros pravos non esse instructos donis ministrantibus, ne verbo quidem dicit.

§. 5. Dura ibidem hæc quoque sunt, quæ paulo post sequuntur. Uti enim, quæ de necessitate charismatum ministrantium in Regeneratione & Renovatione fundatorum profert, rectè si capiantur, tolerari poterunt, cum & nos agnoscamus eorundem necessitatem ex jure & intentione & desiderio & oblatione & cohortatione Dei; ita nimis leverum est, quod porro dicitur: *Quò horrendum magis est, si quis statuerit ausit, quæ dicitur $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ πνεύματι* 2. Cor. III, 8. hanc etiam reperiri in Ministris impiis, cum, quæ Prædicata de Spiritus Ministerio leguntur diabolico, quàm alienissima sine Amalio: videlicet gloriosum esse illud fiducia per Christum ad DEUM v. 4. 8. in Imaginem Domini transformari ex gloria in gloriam v. 18. c. IV, 1. nec non Apostolus ipsam $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ πνεύματι, cum hisce proprietatibus, pravorum Ministrorum præcisè obvertat. Mihi autem planè videtur aliter consentiente Verbo Dei, & Testimonio Veræ Ecclesiæ orthodoxo. Stante scilicet hæc hypothesi Dni Observatoris, quod $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ πνεύματι non reperitur in Ministris Impiis, per se foret exploratum, quod Minister Impius in N. T. non sit $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ πνεύματι, itaque nec Minister Dei, sed longe aliter Scriptura, quàm optimè concinente Paulo. Per hunc enim (1.) non est horrendum, si quis statuerit ausit, quæ dicitur $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ πνεύματι 2. Cor. III, 8. hanc etiam reperiri in Ministris impiis: talem enim antè se noverat Judam Iscario. ten; tales deinde Romæ invenit Phil. 1, 14. 199. & c. II, 20, 21. nec magis horrendum est, Spiritum S. uti $\alpha\lambda\epsilon\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha$ ministri impii, quàm horrendum fuit, monita dare per Lignum Arcæ rationis expers, per virgam Aaronis aridam, & per figuram ignis, aut columbæ: Miranda sunt talia, si referantur; non horrenda. Neque vox est in Paulo, quæ hunc horrorem concitet. Ita (2.) sine ullo jure dicitur,

quæ Prædicata de Spiritûs Ministerio leguntur dicto loco, ea alienissima esse à malis: dici enim ita debuerat, quæ Prædicata de Spiritûs Ministerio legantur dicto loco, ea alienissima esse à Ministerio Malorum. Quis enim non credat, aliqua, quæ de Ministerio Spiritus d. l. leguntur, alienissima esse à malis, cū etiam bonam partem aliena sint à bonis; quippe cum aliena ostendantur fuisse etiam à Mose, in quantum fuit Minister & *ὑερίματ* ⊗, seu Literæ Legis Occidentis, cum is tamen sine ullo dubio cœteroquin probari debeat, & certa quoque ratione rectè dicatur fuisse Evangelii Minister. Quod (3.) è v. 4. & 8. colligatur, id colligari in hunc finem non debebat: in v. 4. enim ostenditur certa alicujus Subjecti, nimirum Pauli ac Timothei, ratio, fiducia & virtus, & specialissimè Corinthiorum causâ demonstrabilis; v. 1. 2. 3. quæ ut in omni alio subjecto, etiam bono, talis & tanta existat, fieri nec potest, nec jubetur: conferantur modò voces: *ὡς ἄντις*, in v. 1. Quod autem è v. 18. allegatur, illud semper adest Ministerio Spiritus, sive illud bonis, sive malis sit impositum. Id porrò, quod (4.) putatur prædicari de Spiritus Ministerio, & alienissimum esse à malis, videlicet in Imaginem Domini transformari ex gloriâ in gloriam v. 18. & c. IV, 1. id incommodè est perceptum, & incommodè copulatum. Nam c. III, v. 18. non agit de Ministris Spiritus (uti Dn. Observator & h. l. & Observ. III §. 10. p. 22. existimat) eorumque de Donis Administrantibus, sed de Omnibus vere fidelibus & conversis, qui conversi sunt ad Dominum sublato Mosis velamine v. 16. qui sunt è Spiritu Domini in libertate v. 17. quique non amplius conferendi sunt cum filiis Israel, qui Mose velamen vultui suo imponente, non possint prospectare in finem desinentis v. 13. 14. 15. itaque agitur in v. 18. de fructu salutari, qui ex Ministerio Spiritus resultat: unde duo illa *καθάρτες* v. 14. & 18. collata, iterumque velamen faciei impositum vers 14. & facies revelata vers 18. itemque Moses vers 14. & Spiritus Domini vers 18. itemque *τὸ τέλος* ⊗ seu terminus vers 14. & progressus per
petui

Petrus ē gloriā in gloriam, ē claritate in claritatem, v. 18. rectē inter se sunt comparanda, ut observetur, non prādicata, sed fructus Ministerii Spiritus v. 18. recenseri. In Cap. IV. v. 1. autem sermo iterum specialis est de Virtutibus quibusdam certi Subjecti, nimirū Pauli & Timothei, qui habebant Ministerium Spiritus: ex quō non sequitur, ab iis, qui non habent easdem Virtutes, quas Paulus habuit & Timotheus, propterea alienissima esse Prādicata, quæ 1. Cor. III. de Spiritus Ministerio leguntur. Res est perspicua. Undē & (f.) frustra id affertur, quod *Apostolus ipsam illam διακονίαν μένεται* cum hisce proprietatibus, pravorum Ministerio præcisē obvertat. Eam verō præcisē potius obvertit Apostolus τῆ διακονία γράμμασι, & Ministerio Mosis Legalis qui non fuit Vir Malus, sed fidus DEO in totā DEI domo ut laudatur Hebr. 3. 2.

§. 6. Æquē igitur iniqua sunt, quæ immediatē in eadem §. succedunt: *Tenendum ergō firmiter, quod dona administrantia tantummodo FIDIS HOMINIBUS competant, qui eō ex statu soli sunt idonei ad alios quoque solerter ac planē docendos 2. Tim. II. 2. iis autem, qui non verē conversi ad Deum fuerint, aequē absurdum est ea affingere, quam psittaco loquenti rationis usum. Tales fuerunt BILEAM & SAUL, nec habuerunt quidem hi EXTRAORDINARIA illa immanentia, ut iste naturaliter acquisita possider. Administrantia autem habitus permanentes sint, necesse est, quibus pro renatā uti, in administrantis SANCTIFICATO sit arbitrio. Multa hic sunt, quæ, dum Impium nolunt habere posse dona administrantia, id est, impium nolunt esse ministrum DEI posse, notam merentur omni jure: Sic enim (1.) voces exclusivæ: tantummodo, & soli 2. Tim. II, 2. planē non leguntur: si autem licet pro lubitu exclusivas ponere, quid non fiet de integrā SS. Judas non fuit homo fidus, & tamen ipsi commissum est ministerium cum eximiis donis administrantibus ab ipso Christo. Præterea 2. Tim. II, 2. non agitur de Donis Administrantibus, sed de rebus administrantibus*

dis : certumque tandem est, à monito e rectâ intentione profecto, ad impossibilitatem facti contra rectam & momentis & moniti intentionem, non esse concludendum Porro quod æquè absurdum sit, iis, qui non verè conversi ad Deū fuerint, dona administrantia affingere, quam psittaco loquenti rationis ulum: id profectò satis est absurdum: neque enim affingimus Ministris actu irrogenitis dona administrantia, sed tribuimus ea iis verè, & secundum scripturas; psittaco autem non loquelam tribuimus, sicut eam illi Dn. Observator tribuit, sed loquelæ imaginariam in paucis sequelem: unde hoc simile vehementer claudicat, Cur autem absurdum sit, iis, qui non verè conversi ad DEUM sunt, dona administrantia tribuere? Judas certè sine absurditate illa habuit, ordinaria æquè ac extraordinaria, quod exemplum nimis est clarum, proptereaque Dn. Observatore omissum. Non est absurdum, impiis ea tribui verbo, quæ tributa ipsis sunt opere. Addatur Propheta Bethelæus I. Reg. XIII. Nec prodest *tertio*, quod de Bileamo & Saulo affert, quibus dona administrantia *extraordinaria* per vim veritatis concedere debet. Quod autem illa dicit non fuisse immanentia, id ad rem nihil affert: non enim quæritur, quamdiu dona immanferint, sed an dona Administrantia fuerint? Quamdiu DEUS ipsis velut Ministris vel hâc, vel aliâ ratione uti voluit, tamdiu immansere Dona ipsis impertita. Diuturnitas ad adjuncta rerum, non ad res ipsas, earumque naturam pertinet. In Iscariotâ nihilominus diu fuerunt immanentia, quæ data ipsi fuerant, Administrantia Dei dona. Nec tandem *quarto* providè dicitur, quod administrantia sint habitus permanentes, quodque iis pro renatâ uti, in administrantis sanctificato sit arbitrio. Si enim de ordinariis sit sermo, sunt illi quidem habitus permanentes, sed eousque tamen permanentes, quousque non eosdem abjiciunt, conculcant, & negligunt, qui iis ante polluere, quod & Bileam, & Saul fecere in donis sibi datis: si autem de extraordinariis est sermo, non sunt illi semper habitus permanentes, sed non

rare

rarò actus tantum singulares, nec iis p̄fore natà uti in ad-
ministrantis sanctificato est arbitrio, sed in Dei Principis
sancto manet, mansitqve semper speciali arbitrio: unde
Moses in miraculis mandatū Dei creberrimè accepit: & Je-
remias non pro lubitu prophetavit, sed ex arbitrio Dei, conf.
Jerem. XXVIII, II. 12. sqq. c. XLII. 1-7: & Paulus non pro-
lubitu sanavit, conf. Phil. II, 27. II. Tim. IV: 20. Unde id eli-
citur, à permanentione donorum, & executionis arbitrio ni-
hil firmiter concludi ad Ministerii Donorumqve Admini-
strantium negationem.

§. 7. Æqualis est ponderis, qvòd Observ. II. §. 3. di-
citur, & qvidem post distinctionem Donorum sanctifican-
tium, Administrantium, & Naturalium, itemq; post liquidam
Confessionem, qvòd, eandem esse Verbi rationem, si ple-
nè ex malorum ore audiatur, velut verum ac certum Do-
mini Observatores vindicent. Qvemadmodum id enim lau-
dari fas est, ita laudari è contrario non potest, qvòd in qvæ-
stionem vocant, *num minister Impius, sanctificationi pertinaciter resistens, illuminetur ipse ex verbo, qvòd tractat, ut illud intelligat verè, apteqve ad salutariter dispensandum?* Profectò explicatum est atqve exploratum, id fieri qvam facillimè in hypocrita, & clanculariè malo omninò posse: neq; enim, actu ita fieri in omnibus ministris Dei impiis, qvis qvā asserit: sunt enim impii divertorū generū: qui Verbi *angustiar* à teneris perceperunt, qui sedulitatem in eò percipiendo posuerunt, qui orthodoxè illud exponi audiverunt, qvidni ex Verbo illu-
minentur, cum Verbum lumen sit etiam in obscuro loco lucens, ut verè apteqve ad salutariter dispensandum illud intelligant? Non illuminantur salutariter, non illuminantur cum sua ipsorum fiducià ac salute: id verum est; qvòd autem propterea etiam non illuminentur ad intelligentiam, & aliorum salutarem informationem, id *ἀρετῆς* dicitur. Unde & reprobamus hæc sequentia: *Etiamsi enim sit idem Spiritus & Verbum Supernaturale, tamen hinc nullà consequentia infertur, qvòd indignum & veniens*

B

subje-

Subiectum ejusdem Spiritus, quatenus revelantis, EFFECTIVE
 compos, & Verbum supernaturale is vere ac supernaturaliter
 cognoscat, atque idcirco habeat dona administrantia. Conce-
 deremus, si pro voce effective scripsisset salutariter; si pro
 vere ac supernaturaliter scripsisset pie ac fiducialiter; si pro
 Donis Administrantibus scripsisset Sanctificantia. Nunc au-
 tem omnia Scripturæ sunt difformia. Valet è contrario hæc
 consequentia: Si idem Spiritus & Verbum supernaturale
 in respectu ad ritè docendam Ecclesiam adest Impio quoque;
 legitime sequitur, quod impius, licet indignus & renitens, Spi-
 ritus (non quidem quatenus justificantis, attamen) quatenus
 revelantis sit effective compos, (Matth. X, 19. 20.) quodq; Ver-
 bum Supernaturale verè (id est congruè ad intentum à DEO
 sensum) ac supernaturaliter (id est ex supernaturali Sp. S.
 gratiâ assistente, & Verbum per Verbum explicante) cogno-
 scat, (non quidem in locis omnibus atque singulis, neque
 enim istud vel optimum quisque jactare poterit, sed quousque
 ad doctrinam salutis necessarium est Luc. VIII. 10.) quodque
 idcirco habeat dona administrantia, (quorum ope & virtute
 alios pariter ac se ipsum convertere, & salvare possit. Matth.
 X, 7. 13. 27. 28. 40. Phil. I, 14. 15. 16. 18.) Quo observato plane
 procedunt sequentia: Sane Apostolus negat utrumque illud
 modo allato loco: (1. Cor. II, 13. 14.) itemque id, quod inferius
 ait: Consequentia namque invicta est, manetq;: Si mali minist-
 ri, quæ Spiritus Dei, non possunt intelligere nec spiritualiter di-
 judicare, sequitur, quod dono administrante careant. Conf. 2. Cor.
 II, 16. III. v. 5. &c. Antecedens autem conceptis verbis proficitur
 Paulus 1. Cor. II, 13. 14. Neque enim Apostolus vel id negat,
 quod mali ministri possint Spiritus Dei compotes esse, quan-
 tum ad muneris rationem, vel id ait, quod mali Ministri, quæ
 Spiritus Dei sunt, non possint intelligere, nec spiritualiter
 (i. e. juxta doctrinam & sensum Spiritus S.) dijudicare: quod
 Antecedens Domini Observatoris nullo quidem verborum
 nexu Paulinum est, tantum abest, ut conceptis verbis id profi-
 teatur. Ab homine Pauli ψυχικῶν ad malum Ministerium
 minus

minus dextrè concluditur. Videatur supra §. 2. Et quia Antecedens non Paulinum, sed tantum supposititium est, tota illa *invidiâ consequentia* contra Ministerium malorum prodest nihil, additaqve duo loca ex 2. Cor. II. v. 16. & cap. III. §. frustra allegantur.

§. 8. Videri poterat aliquid amplioris habere ponderis thesis subsequens: *Posita utroqve. quod tamen poni posse concedendum minime est* (scil. 1. impium Spiritus S. quatenus revelantis effectivè compotem esse, & 2. verbum supernaturalè verè ac supernaturaliter cognoscere posse) *non ponenda statim administrans habitudo, licet hac absq; eo (utroq;) non detur.* Verum videtur tantum ponderosius esse hoc assertum; non est. Nam posito eo, quod aliquis ad docendam Ecclesiam Spiritus S. quatenus revelantis compos sit, & eo, quod verbum supernaturalè verè ac supernaturaliter, uti §. præced. est explicatum, cognoscat; quæso te, quid deest ad habitudinem, quam ais, administrantem? Ad sanctificantem deest multum; ad administrantem habitudinem nihil. Aliud foret, si quis diceret: Non ponenda statim voluntas habitudine administrante rectè utendi: Id enim non negaremus. Hanc enim suppressere, hanc negligere potest impius, magnopereqve hæc dependet à gratia sanctificante. Et quoniam cætera omnia, quæ vel asseruit, vel probare annisus est Observator, minus fuere stabilia, nihil quoque meruendum est à cura infringendi consequentias orthodoxorum, quam demonstrat hisce verbis: *Nec melior est consequentia, quod, si doctrina de mysteriis Spiritus S. est, etiam dona eam tractantia sint administrantia vera ex Spiritu S. Fit enim aperta peribæsis eis à dno jv.* Et quare quæso talis fiat peribæsis? Respondet Dn Observator: *Circa objecta spiritalia versari possunt dona & naturalia, quæ propterea non sunt administrantia, quoniam non spiritaliter dijudicant spiritalia; vel (hæc reiponso est altera) si etiam iudicium spirituale in aliquibus præ se ferant, id non affertur sub ratione doni Spiritus S. in animo effecti, sed potius furti aliunde translaturum.* Quin potius consequentia illa, quæ Dn. Observator destruere cupit, firmissimè

mè consistit, recte dum efferatur hoc modo: Si Doctrina de mysteriis Dei ab Impio ministro probè, verboque divino congrue hausta, intellecta, & animo memoriæque infixæ est Doctrina Spiritus S., non autem naturæ; sequitur etiam certo, quod dona ad emolumentum Ecclesiæ (de eo enim sermo est) eam cum intellectu & applicatione transtantia sint administrantia vera ex Spiritu S. Nunc cessat omnis putativa μεταβασις εις αἴδιο γένεσι. Ratio enim prima de donis naturalibus plane tunc cessat, quippe quæ in indoctos Monachos & imperitas Moniales, puerosque linguæ, quam legere addiscunt, expertes cadere poterat, velut dantes sine mente sonum, & Psalterium sine intellectu & applicatione Latine crepitanter, & græcum πατήρ ἡμῶν recitantes; non in Ministros Ecclesiæ, qui, quæ dicunt, intelligunt, & ad auditorium suum applicant, itaque spiritualia spiritualiter dijudicant: ratio autem altera plane nulla est, quia luditur tantum terminis doni, ac furti: Si enim spiritualia dijudicant spiritualiter, si, quæ dicunt, intelligunt, & recte ad suos applicant, id doni utique est, non furti. Ex cujus enim Gaza id furabuntur? Non certe Spiritus S. is enim à furto tutus est; nec verbo Dei & Spiritui S. id enim propterea apertum est, suasque Gazas cuique offert; nec aliis Ministris Dei, illi enim manuducunt ad Gazas Scripturæ, velut Consiliarii & comministri, ut illi non, velut fures, arcere debeant, qui intellectus & applicationis causa quidquam petunt; sed velut iuste petentibus, quantum possunt, largiri ex divinis & offerre debeant, velut boni œconomi variorum Dei charismatum, variarumque Dei gratiarum, 1. Petr. IV, 10. Alia autem ratio est furtorum, Jer. XXIII, v. 30, notatorum, quæ huc non pertinet, sed ad Pseudopphetas verbo Dei abutentes ad vana ac falsa sua somnia & figmenta.

S. 9. Cætera, quæ in Observat. II. S. 7. supersunt, & in eo versantur, quod Dn. Observator distinguere velit ministrantia naturalia à Spiritualibus illis, quæ proprie administrantia dicantur, huc proprie non pertinent, dum obser-

ser-

ferveretur, verum quidem esse, quod ait: *Logice judicare nondum est spiritualiter judicare*: at nihilominus verum & hoc esse: juxta ministerium Logices spiritualia ex Scriptura, tanquam vero sui principio, cum facultate applicandi judicare, id utique jam esse spiritualiter judicare, licet non statim sit cum applicatione ad se ipsum & salutariter judicare. Quousque igitur Minister Dei etiam impius id facit, & quia Minister Dei est ad Ecclesiam, ad Ecclesiae emolumentum istud applicat: eousque non tantum spiritualiter judicat, sed & id facit, quod Ministri est, licet non statim faciat, quod boni per omnia est Ministri.

§. 10. In Observat. III. §. 6. p. II. cum *Vir de pietate sollicitissimus* recte dixisset: *Minime inficias imus, Dei verbum si integrum tradatur, ex parte sui efficaciam divinam, & tenere & actu exserere, nec conditione proponentis subiectum esse alligatum*: Itemque illud: *Immensa Dei misericordia acceptum referendum est, si quid veritatis per indignos etiam ad animarum salutem conferatur Phil. 1. v. 18: in eo tamen recedit, quod sequitur: Abbas quam plurimum detrabitur Scripturae integritati, quando quidem nec possunt nec volunt (τὸ λόγον τῆς ἀληθείας ὑποποιεῖν 2. Tim. II. v. 15.) recte secare verbum veritatis. Non possunt, quoniam id spiritualiter dijudicandum, nempe ex virium spiritualium usu, quoniam nondum experti sunt, neque e libris Theologicis, nisi propria accedat praxis, accipere valent, ceu Observ. IV. demonstrabimus: Nec volunt, quia, quae forte apertius videntur requirenda, multo parcius ac tenuius, quam par est, attingunt, non necessitatis in scripturis patefacta regulam, sed opinione arbitrii sui nondum liberati illa metientes. Notandum hic (1.) verbum DEI non tantum, si integrum tradatur, sed & in aliqua sua parte ad salutem ordinata efficaciam divinam exserere, & (2.) fieri non posse, ut integrum Dei verbum cum omni sua applicatione vel ab optimo quoque simul ac semel tradi possit, quod ad observ. IV. ipse Dn. Autor negare nequit, sed Consilium Dei per varias particulas hominibus tradendum, & recte prudenterque quasi*

secundum esse, indeque (3.) conditionem, si integrum tra-
 datur, extendendæ divinæ efficacæ verbi nihil debere præ-
 judicare aut adimere: (4.) Misericordiæ divinæ immensæ
 esse, quicquid veritatis sive per dignos, sive per indignos
 ad animarum salutem conferatur, quorum posterius Dn.
 Autor rectè è Phil. 1. v. 18. accersit: (5) per omnes indi-
 gnos quam plurimum detrahi scripturæ integritati, proba-
 ri è nullo scripturæ dicto posse; à quibusdam detrahi, dis-
 putari non debere: (6) agendum in hac controversia esse
 de indignis, qui probe informati sunt, qui non tantum
 theoretico conceptu, sed & conceptu pratico (i.e. ad fidei &
 charitatis, suscitatione per naturam suam contendente Legem
 & Evangelium juxta verbi divini, ac systematum Theologicorum
 ductum secare didicerunt, multoque magis, si ex eo ipsi an-
 tea salutariter fuerint illuminati, & jam nunc hypocritas
 agant, antiqvam autem non tantum cognitionem Pulchri
 Verbi, & Virium futuri seculi, sed & gustum & experien-
 tiam in memoria teneant: (7) De his universim dici non
 posse, quod verbum veritatis rectè secare non possint, quip-
 pe quod ex temere negato Virium spiritualium usu, & ex
 generaliter negata experientia, & ex negato impune Li-
 brorum Theologicorum subsidio plane non concluditur,
 frustra iterum allegata sententia Pauli è 1. Cor. II. de qua
 supra jam aliquoties; & (8.) non satis certo de omnibus di-
 ci posse, quod nolint, cum dentur Viri in S. laboribus stu-
 diosissimi, qui, etsi non omnia pro Dn. Autoris arbitrio,
 sic & nunc attingant, dici tamen propterea non possunt,
 quod nolint: taceo id (9.) quod ambiguum inter multos
 mansurum sit, ejusnam arbitrium magis sit liberatum, quis-
 que patefactæ in Scripturis necessitatis regulâ accuratius
 omnia meriatur. Illud ergo planè est sublatum; contraq; ex-
 ploratum manet, dari quosdam Impios, qui verbi Divini in-
 tegritati non detrahant, quantum ad auditores suos, quic-
 que integrum illud proponere & possint & velint per Spiritus
 S. non quidem inhabitantem, at assistentem tamen Virtutem.

S. II. A quò asserto non deterret illa quæstio: *Erone huiusmodi cura sperari possit ab eo, qui ipse vita spiritualis vias non experitur?* Fateor equidem, spem esse non adeo magnam, attamen nec plane nullam: Hoc unum est, quod moderamen deposcit, quandoquidem officium Dei non ex subiecti solitudine, sed è gratia & benedictione Dei verè suam virtutem habet. Id quod Paulum commover, ut ita scribat: *Si evangelizo, id mihi non est gloriatio, necessitas enim mihi imposita est: ve autem mihi est, si non evangelizem. Si enim promptus (ἐκείν) hoc facio, premium habeo; si vero invitus (ἀκούων,) œconomiam (tamen) concreditam accipi.* Videamus Paulum, etiamsi invitò concionantem, nihilominus staturum in concredita sibi œconomia, mysteriorum scilicet DEI. At dignus esse nequit, qui invitus evangelizat, & qualis ab invito cura sperari queat, quis non videt? Protectò nihil hic stabile est, quamprimum ab Efficaciâ DEI ad curas transitur Ministrorum negative! Atque ex hoc fundamento non possum probare, quæ sequuntur: *Ita negative S. Petrus iudicat, pronuncians cæcum illum, non modò, qui ad Deum nondum conversus vere fuerit, verum etiam, cui exercitium virtutum spiritualium, sese invicem consequentium, non adfit amplius, oblivione atractâ purgationis veterum suorum peccatorum.* 2. Petr. I, 5-8. Sicut enim Petrina omnia perpulchra sunt, ita S. Petrus non negativè procedit à defectu experientia viarû spiritualis vitæ ad defectum curæ animarû aliarum regenerandarum ac renovandarum in Ministro Dei, sed negativè procedit à defectu exercitii virtutum, ad defectum notitiæ salutaris in unoquoque antea repurgato à veteribus peccatis, nunc autem repurgationem illam oblitò: Quamobrem non valet statim consequentia à neglectu sui ipsius ad Ministerii administrandi impotentiam, sicut à Medici intemperie non potest concludi ad impotentiam sanandi alios.

S. 12. Neque ergo huc quadrat locus ex Matth. XV, 14. *Missos illos facite: Duces sunt cæcorum: Quod si cæcus cecum*

cum

cum per viam duxerit, ambo in foveam cadent. Ibi enim sermo est de missis faciendis (1) non Doctoribus veritatis causa recte sentientibus, veritatemque recte docentibus, sed de Phariseis ac Scribis à veritatis puritate varie jam discedentibus; nec (2) de his missis faciendis absolute, id enim repugnaret assertis posterioribus Matth. XXIII, 1. 2. sed (3) de his missis faciendis secundum quid, nimirum secundum omnem plantationem doctrinæ, quam non plantaverat Pater cœlestis, quæque eradicanda erat, quidquid Pharisei offenderentur: sicut & in eo erant relinquendi, in quo erant cœci duces, in cœteris autè audiendi, non obstante eorum improbitate, sicut in fine Dissertationis præcedentis ostendimus e Matth. XXIII, v. 2. Alia nostræ dissertationis ratio est, quippe quæ agit de Ministro Dei orthodoxo, & veritatem omnem apprimete tenente, & ex jure vocationis in ministerium Dei recte adscito, & justam muneris experientiam habente, at impio, & per tolerantiam Dei ac Magistrarus sui in officio tuo persistente, sive hypocritam agat inter vitia clancularia, sive scandalosus etiam quoad antenus sit factus.

S. 13. Illud in ejusdem observat. III, §. 10, p. 21. perdurum est, quod Dominus Observator ait: *Consulamur initium utriusque Epistole ad Corinthios, utrobique potissimum in quatuor Capitibus, quibus directe nihil aliud intendit, quam hoc ipsum evincere, quod requiratur ad ministerii functionem præstandam Sapientia, ex ipso Dei Spiritu & usu crucis Christi profecta, absque qua inavertens nulla sit, ministeriique exercitium non nisi noxium.* Scopus hic est, Sapientiam ad functionem Ministerii requisitam proficisci, uti è Dei Spiritu, ita & ex usu crucis Christi intra se ipsum concepto, qualis si non adsit, nec ullam adesse inavertens, nec exercitium ministerii esse nisi noxium. Concedere poteram exercitium aliquod ministerii noxium, cum omnino quidam Ministri impii non tantum sint inutiles, sed præterea & noxii: quod autem exercitium ministerii in impio non nisi noxium esse dicit, id plene à sententia Pauli est alienum, quippe è quo ipse
Dn.

Dn. Observator contrarium dixit, ut supra §. 9. vidimus ad Phil. I. 18. Notamus igitur (1.) proprie loquendo sapientiam, quæ ad ministerii functionem requiritur, juxta 1. Cor. I. 18. 19. non proficisci ex usu crucis Christi, sed ex vera cognitione seu verbo crucis Christi, licet vehementer illa crescat in ulu crucis Christi. Unde, quando Christus nobis omnibus proponitur, 1. Cor. I. 30. 31. primùm *sapientia à Deo nobis factus esse* dicitur, secundò *justitia*, tertio autem *sanctificatio*, tandemque *plenaria redemptio*, ut, sicut scriptum est, *glorians in Domino gloriatur*, non autem in propria sua dignitate. Notamus (2.) Sapientiam ex Dei Spiritu etiam esse eam, quæ per suam naturam ad justificationem & sanctificationem contendit, licet ipse, qui eam ex gratiâ Spiritus Dei assistentem per verbum habet, ipse nec sanctus sit, nec justificatus actu. Notamus (3.) absque sapientia quidem nullam esse idoneitatem ad munus, aut absque crucis Christi usu actuali, & animam ipsius Ministri reformante, nihilominus aliquam adesse idoneitatem administratoriam, id quod Judæ exemplum clare probat: repetimusque (4) ministerii exercitium, absque usu Crucis Christi eo, quò ipse utens justus ac sanctus redditur, salutare pro Dei gratia esse non omnino raro, itaque non recte dici, quod non sit, nisi noxium. Quem in finem Phil. I. 18. in memoriam nobis revocamus: Sicut autem (5.) fas esse dicimus, ut omnes Ministri in hoc crucis Christi usu vero sibi quæ ipsis salutifero se exercent, ita sine omni crucis Christi vero usu ne ministerium quidem cujusquam esse contendimus, quandoquidem talis requiritur, qui aliis representari & ante ipsos oculos velut de pingi debeat.

§. 14. In observat. IV., ubi de Doctrina agitur, uti multa habet Dn. Observator admodum egregia, ita ad hanc materiam varie contrarius nobis iterum est, unde omisissis quibusdam aliis brevitate tantum causa non tam excerpimus minus firma atque vera, quam theses ponimus ipsius assertis oppositas. Sunt autem istæ sequentes:

C

Ad

Ad pag. 24. Impius Dei Minister, uti non est merè naturalis homo, ut, quæ Spiritus Dei sunt, non capiat, ita circa ea ad usum animarum dispensanda non aberrat semper variis modis, quantum scilicet ad ipsa dispensanda attinet; etiam si enim, quæ scit, (non enim tantum scire) recto quidem, i. e. Scripturæ! S, quoad sciendi & applicandi regulas vere congruo, non tamen sibi salutaris modo, tamen modum sibi aliisque salutarem afferre ad recte secandum Dei verbum potest, non obstante I. Cor. II. 14. Cap. VIII. 2. 2. Cor. X. 4. s. 2. Tim. II. 5. Ex adverso autem Vir Dei etiam optimus, qui utiq; non est homo naturalis, &, quæ Spiritus sunt Dei, salutariter quoque capit, nihilominus circa ea ad usum animarum dispensanda non raro variis modis aberrat, probante illud exemplo Petri Act. X. & Gal. II.

Ad pag. eandem. Non tam contra eos, qui sollicita praxi in spiritu suo exercenda, quam qui sufficiente notitia discriminis inter diversos legis usus applicandos carent, Paulus 1. Tim. I. 6, 7, 8. procedit, cujus notitiæ è defectu id sequitur, quod Dn. Observator habet: probantibus id ipsum terminis Paulinis.

Ad pag. 25. Nullibi Paulus vehementer etiam atque etiam contendit, errorem omnem oriri ex eo, si quis propriam (*την ιδίαν*) conscientiam neglexerit.

Ad pag. eand. Et 1. Tim. VI. 3, 4, 5. plane non est clarum, quod facultas dijudicandi res spirituales (ad munus Ecclesiasticum pro aliis recte obeundum) supponat spirituale, cordis habitum, partim infusum fidei, charitatis ac spei, partim frequentatis applicandarum Virium istarum actibus acquisitum.

Ad pag. eand. Rom. XII. 2. & Phil. I. 9, 10. non docetur, quod ne fidelium quidem ullus *δουμάζεν τὰ διαφερίαι* discrepantia possit pro veritate perseverantiæ, nisi habitum huiusmodi renovando mentis spiritu sibi conciliet; unde nec sequitur: Quanto minus vero Minister pro curæ animarum difficultatibus? Probo, quia discrimen est inter esse debere & esse posse, itemque inter veritatem perseverantiæ, & salutarem usum perseverantiæ. Ad

Ad pag. 27^a Sine quo Auditores renovationem suam
& *δοξιασίων* exercere nequeunt, nihilominus ita compara-
ratum est, ut absque eo (quantum ad usum proprium consi-
derato) Pastores officium suum in convertendis & sanctifi-
candis aliis situm exsequi possint. Usque adeo practicum
propterea fundamentum non subruitur.


Ad pag. 34. Quæ pag. 32. & 33. & 34. à Dn. Observa-
tore sunt dicta circa analogiam fidei ab ipso vocatam spiritua-
lem, eadem sciri possunt etiam à Ministro Dei impio, partim
ex experientia aliena, partim ex sua, sed denuo abrogata, & in
hypocrisisin conversa, proptereaque & ritè dispensari ab eo
possunt sine eo, qui ibi notatus est, vario multiplicique
detectu: è contrario autem fieri potest, ut is, qui omnia il-
la non sola meditatione systematica, sed & adhibito usu pro-
prio cognovit, nihilominus in dispensando erret, Evange-
liumque & Legem incommode misceat, idque ob incertum
cordis alieni scrutinium, & adhærens peccatum proprium
originale, unde & ipse Observator cautelam particulæ: *παν-
τατων*: infra adhibere cogitur: eaque propter, si improbus
dici queat agere contra Orthodoxiam, cujus sit *ὁρθοδοξία*
1. Tim. VI. 3. 2. Tim. II. 15. omnino etiam vel optimus, &
peritissimus, itidem circa illa facile errans, contra ortho-
doxiam ager.

S. 15. In observat. V. ubi tres Candidatorum notæ,
dona, vita, Doctrina, conjunctim ita dicuntur spectandæ,
ut, qui earum, prout ad finem requiruntur, aliqua aperte
destituatur, nullo is pacto ad ministerium sit admittendus, id
quod rectissime dicitur: faciles esse possumus, dum om-
nia sane intelligantur, & locus in fine pag. 45. ex Apol. A.
C. Cap. IV. tit. de Eccles. Art. 8. p. 155. adductus de impiis
Doctoribus deferendis, non explicetur de privata & teme-
raria deseritione eorum, quorum vita inculari etiam jure
potest. Locus enim ille agit proprie de iis, qui funguntur
Persona Anti-Christi, qui Pseudo prophetæ sunt, qui aliud
Evangelium, evangelizant, Conf. Art. Smalc. Tr. II. Tit. I. p.


348. & F. C. Decl. Sect. X. p. 795. Quâ circa Libros Symbolicos loqvendi occasione id quoque ex abundantia addimus, id, quod Obs. IV. ex Apol. A. C. est allatum, nulla parte inferre, ut credi debeat Apologia asseverare, irregentium quemvis plane ignorare, quid sit verè timere DEUM, vere diligere Deum, verè invocare DEUM, vere statuere, quod Deus exaudiat. Aliud est, aliquid sibi nosse salutari-ter, de quo generatim Apologia loqvitur; Aliud nosse ali- quid apte ad docendum alios, quod de Ministro Dei Apologia non negat.

§. 16. Nos sicut studium pietatis ex animo amamus, commendamus, & in Ministro Dei omnino desideramus, & urgemus, laudare debemus Viri Venerandi studium pie- tatis anxie desideratum: Id tantum vovemus, ut intra ordinem divinum omnia retineantur, nec fidei periculum fiat, & officio ipsi aliquid adimatur, dum pietatis qværitur rectitudo. Quod sicut sperare non desino, ita nec dubito, Virum illum omnia rectè reputantem, sicut præterea, nec Verbo DEI Virtutem suam adimere, nec in Ministro Impio omnia integrè proponente quemvis effectum sacrum negare se velle jam jam confessus est, in cœteris quoque Verbo divino contormiter esse senturum. Nos cum ss. literis, cavendos Ministros Dei Impios, fieri quantum per Jura Divina atq; Humana potest; nos illos pro ministris quoq; Diaboli ratione vitæ consendos; nos illos frequenter male agendo plus destruere, quàm benè docendo inædificare; nos in omnibus Dei Ministris fidem, & omnem probitatem re- qviri, urgeri, postulari debere; confitemur, dicimus, ac docemus. Nos omnem Magistratum laudamus, qui cau- tē & providè sollicitus est, ut impietas Ministrorū Dei aver- runcetur, aut rescedat; qui minus sollicitus est, in illas curas quam maximè id sedulo fieri potest, vocandum atq; im- plorandum esse, comprobamus. Unicum illud remaneat, quamdiu Impii nec de jure sunt convicti, nec à Magistratu suo abrogati, sed potius tolerati per Deum & homines illos officii causâ Ministros Dei & Christi manere, ut miseræ Ec- clesie

celestis non agantur in ampliorem miseriam, animarum
 anxietatem, diffidentiam de virtute Divini Verbi ac sacramen-
 torum; sed potius confidere queant, ex illorum quoque
 ministerio & donis administrantibus ad sese, ubi opus est,
 convertendos, confirmandos, consolandos, omni Bono
 cœlesti pascendos, gratiam Divinam posse promanare, &
 dum ipsi auditores melius credant, quam ipse forsitan Pa-
 stor credit atque vivit, in sese redundaturam esse. Quicquid
 in contrarium est argumentorum, qualia ex Matth. 5, 13-19. c.
 6, 13. 14. c. 7. 15-23. c. 15, 14. c. 23. tot. Luc. 11, 37. 199 c. 14. 26. 27.
 33. f. c. 16, 13. 14. Joh. 10, 1. 199 c. 14, 17. Gal. 1, 10. 2. Cor,
 11, 13. 1. Tim. 3, 1. 199. 1. Cor. 3, 1. itemque multis multorum
 cōtra multos Prophetas Prophetarum testimoniis allegari
 & proferri solet: Id facile solvitur, paucis observatis, quod
 scil. distingvendum sit inter Pseudo prophetas, & milos; inter
 vim operandi salutiferam, & inter operationem actu ipsi
 operanti salutarem; inter dona sanctificantia, & admini-
 strantia; inter mundum ex impietate, & mundum ex infi-
 delitate strictè dictā æstimandum, inter fructus operum,
 & fructus laborum doctrinales; inter requisita ad sanctita-
 tem administrantis de jure præscriptam, & requisita, ad ad-
 ministrationem muneris ipsam &c. Firmiter hic ergo tenea-
 tur, quod Verum est ac Probum. Sic nihil derogabitur ipsi
 ministerio, quod Christi est; nec concedetur impietati.
 Ministri Impii, in quantum ministerio indignus est. Loquan-
 tur aliter sentientes rectius, vivant aliter viventes sanctius,
 omniaque in Ecclesiā DEI fiant, quam curatissimè coram
 DEO & hominibus id fieri potest: & si qui sunt impii in Ec-
 clesiis Dei Ministri qui corrigi haud possunt, removeantur illi,
 ut cœteri timere discant. Nihil nunc addimus, licet pa-
 ri qui ad quodcunque argumentorum genus respondeamus,
 ē Verbo Dei. Faxit Deus, ut Gloria Domini Nostri Jesu
 Christi omnium suorum Ministrorum ex anima, facie, loque-
 rā, ac vitā elucescat: cui Unico nostro Deo ac Domino
 sit Laus & Gloria in omnia secula seculorum
 Amen!



clesiae non agantur in ampliorem miseriam, animarum
 anxietatem, diffidentiam de virtute Divini Verbi ac sacram
 torum; sed potius confidere queant, ex illorum quoque
 ministerio & donis administrantibus ad sese, ubi opus
 convertendos, confirmandos, consolandos, omni Be
 coelesti pascendos, gratiam Divinam posse promanare.
 dum ipsi auditores melius credant, quam ipse forsan
 stor credit atque vivit, in se'e redundaturam esse. Quid
 in contrarium est argumentorum, qualia ex Matth. 5, 13-
 6, 23. 14. c. 7. 15-23. c. 15, 14. c. 23. tot. Luc. 1, 37. 1. q. c. 14, 20
 33. f. c. 16, 13. 14. Joh. 10, 1. 1. q. c. 14, 17. Gal. 1, 10. 2. C
 11, 13. 1. Tim. 3, 1. 1. q. 1. Cor. 3, 1. itemque multis multo
 contra multos Prophetas Prophetarum testimoniis alle
 & proferri solet: Id facile solvitur, paucis observatis, quae
 scilicet distingvendum sit inter Pseudo prophetas, & milos; in
 vim operandi salutiferam, & inter operationem actu
 operanti salutarem; inter dona sanctificantia, & adm
 strantia; inter mundum ex impietate, & mundum ex
 delitate strictè dictā aestimandum, inter fructus operu
 & fructus laborum doctrinales; inter requisita ad sancti
 tem administrantis de jure praescriptam, & requisita, a
 ministrationem muneris ipsam &c. Firmiter hic ergo te
 tur, quod Verum est ac Probum. Sic nihil derogabitur
 ministerio, quod Christi est; nec concedetur impie
 Ministri Impii, in quantum ministerio indignus est. Loq
 tur aliter sentientes rectius, vivant aliter viventes sancti
 omniaque in Ecclesia DEI fiant, quam curatissimè cor
 DEO & hominibus id fieri potest: & si qui sunt impii in
 clesiis Dei Ministri qui corrigi haud possunt, removeantur
 ut coeteri timere discant. Nihil nunc addimus, licet p
 ti qui ad quodcumque argumentorum genus respondeat
 e' verbo Dei. Faxit Deus, ut Gloria Domini Nostri
 Christi omnium suorum Ministrorum ex anima, facie, lo
 quā, ac vitā elucescat: cui Unico nostro Deo ac Dom
 fit Laus & Gloria in omnia secula seculorum
 Amen!



762